

1 L'Italia e i (suoi) abitanti (II).

Italiae orae, praecipue Siciliae et Sardiniae insularum, amoena sunt; terra uvarum, olearum castanearumque, rosarum violarumque plena est. Multae in illa sunt clarae aquae. Antiqua et clara est Italiae, nostrae carae patriae, historia. Poëtarum litterarumque Romae atque Italiae fama mira est. Italiam, nostram patriam, puellae, semper amate!

2

Equus et aper.

Equus in vado babit. Vénit aper: in vadum intrat aquamque agitat. Equus stomachōsus cum apro litigat, sed frustra: aquam nimiā insolentiā aper turbat. Tum equus iratus vicinae villae domīni auxilium petit; virum in dorso levat et contra inimicum portat. Aprum vir telis necat, in equi dorso ponit et dicit: «Laetus sum quod (= poiché) auxilium meum petebas; miram praedam nunc habeo et servum ad meam villam idonēum». Frenis autem et habēnis equum allīgat. Tum māestus equus dicit: «Parvam vindictam stultus cupiebam et petebam: vir non solum apri, sed etiam vitae meae erit dominus; posthac non liber, sed servus semper ero».

Fabūla Aesōpus iracundos monet: immodīca ira insaniam gignit, insania saepe exitii est causa.

Da FEDRO

120. *Graecorum poëtae.*

Poëtarum laus mira in Graecia fuit; itaque māgnus poëtarum Graecorum numerus fuit. Homēri gloria ceterorum poëtarum gloriam supērat: antiquitus Homēri carmīna puerorum et puellarum, virorum et mulierum, iuvēnum et senum gaudii causa fuerunt et nunc apud cunctas orbis terrarum nationes nota claraque et pueris virisque doctis iucunda sunt. Alexander Magnus, Macedōnum rex, Homēri carmīna sub cervicāli semper tenebat. Aeschylō quoque, Sophōclī, Euripīdi, Pindāro universi homines magnos honores tribuunt. Olim autem non modo in Graecia, sed etiam in Italia et in Sicilia clarum fuit nomen Pindāri, multorum regum Siculorum amici, multarum civitātum hospitis.

204. *Lo spettacolo meraviglioso dell'universo.*

Admirabilitatem caelestium rerum atque terrestrium non intellegimus. Maris pulchritudo, species universi, multitudo et variētas insularum, amoenitates orarum ac litōrum mira sunt. Multa sunt genēra partim sublimarum, partim fluitantium et innatantium beluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium. Mari finitīmus aēr terram imbribus fecundat, ventus efficit et annuas frigōrum calorūque varietates, volatus alītum sustinet; sine aēre animantium vita in terra non est. Cuncta autem aether circumfundit; aethēra verbo Graeco altum aēra appellamus. Sol et omnia astra in aethēre sunt; solis magnitūdo terrae magnitudinem magnopere superat; sol diem noctemque conficit; suo autem cursu et veris et aestatis et autumni et hiēmis causa est.

Natura rerum hominum admirationem movet; at omnia videmus atque obstupescimus, sed raro rerum causas inquirīmus; ideo solis astrorumque motus et ceterarum rerum causas ignoramus.

da CICERONE

309. Augusto elenca le spese fatte per congedare i legionari.

Pecuniam pro (= in compenso di) agris, quos in consulatu meo quarto assignavi militibus, solvi municipiis. Ea summa sestertium circiter sexiens miliiens fuit, quam pro Italicas praediis numeravi, et circiter bis milliens et sescentiens (sott. centena milia), quod pro agris provincialibus solvi. Id primus et solus omnium, qui deduxerunt (da deduco) colonias militum in Italia aut in provinciis, feci. Et postea militibus, quos, emeritis stipendiis (= finito il servizio militare), in sua municipia deduxi, praemia persolvi, quam in rem sestertium quater milliens (quali parole sono sottintese?) circiter impendi. Quater pecunia mea sestertium milliens quingentiens (?) iuvi aerarium. Praemia dedi militibus, qui vicenos aut plures annos stipendia emeruerant (stipendia emerere: prestare il servizio militare) HS [MDCC].

da RES GESTAE DIVI AUGUSTI

310. Duo muli.

Duo muli iter idem faciebant, sarcinas gravati; unus eorum fiscos pecuniae plenos, alter saccos hordei refertos portabat. Ille, pretioso onere superbus, excelsa cervice incedebat, clarum tintinnabulum iactabat comitemque spernebat; hic post eum placidos et quietos gradus faciebat. Subito latrones ex insidiis eruperunt (da erumpo): mulum, qui pecuniam portabat, ferro vulneraverunt, nummos diripuerunt (da diripio), mulum vili hordeo onustum neglexerunt (da neglēgo). Tum, qui vulnera accepérat, tristem sortem suam flebat; alter autem dicebat: «Res prospere mihi evénit, quem latrones non vulneraverunt quique sarcinas non amisi».

Hac fabella Aesopus ille nos docet: impotentes hominum cupiditates divitiae excitant; divites magnis semper periculis, immaturae interdum neci sunt obnoxii; idēo angōres et pavores eorum vitam terrent; qui autem in paupertate aetatem degunt, nullius inimici invidiam movent eorumque vita tuta est et placida.

da FEDRO

372. Duello fra Tito Manlio e un soldato Gallo.

Gallus quidam eximia corpōris magnitudine in pontem fluminis Anienis, in cuius citeriore ripa dictator castra posuerat (da pono), processit (da procēdo) et, voce quam maxima potuit, provocavit: «Fortissimus Romanorum vir procedat, agēdum, ad pugnam, ut nostri certamini eventus ostendat utra gens bello sit melior». Diu inter primōres iuvenes Romanorum silentium fuit; tum Titus Manlius adulēscens ad dictatorem pergit: «Si permittis, certamini ego interero et illam beluam interficiam; nihil ei magna corporis statura nihilque vox ferina prodērit, nihil eximiae vires prodērunt; immo haec omnia obērunt. Adeste, milites, mihi clamore vestro; ego non deēro; si superfuero, prodēro vobis, Romae prodēro; Gallus autem sua morte Gallorum spei obērit». Tum dictator: «Macte virtute ac pietate in patriam, Tite Manli, esto. Certamini et interesto et superesto. Di tibi adsunto». Atrocissima fuit pugna. Denique autem Manlius,

395. Scipione e il poeta Ennio.

Olim ad poëtam Ennium venit Scipio Nasica et ab ostio eum appellavit; ancilla dixit dominum domi non esse; Nasica sensit illam ea verba domini iussu dixisse et illum intus esse.

Post paucos dies ad Nasicam vēnit Ennius et eum ad ianuam vocavit; tum Nasica exclamavit se domi non esse. Tum Ennius: «Quid, ego non cognosco vocem tuam?». Huic Nasica: «Homo es impūdens. Ego, cum te appellavi, ancillae tuae credīdi (da credo) te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?».

da CICERONE

396. *Equus et asinus.*

Homo quidam equum et asinum agitabat, qui graves sarcinas portabant. Hic defatigatus illum oravit ut sui oneris partem sumeret. Equus eius preces despexit (da despicio). Asinus defessus paulo post animam efflavit. Tum dominus in equi dorso omnes asini sarcinas atque etiam pellem eius imposuit (da impōno). Tum equus flebat: «Stultus antea fui et nunc miser sum. Asinum, cum me orabat ut parvam partem eius oneris suscipērem, despexi; nunc omnes sarcinas una cum pelle comitis mei porto».

Fabella demonstrat fortē invalido prodesse necesse esse, ut uterque se servare possit.

da ESOPO LATINO

410. *Alessandro Magno esorta i soldati.*

Alexander praefectos iussit exercitum ad concionem vocare, apud quem talem orationem habuit: «Quadridūi nobis iter superest, qui tot proculcavimus nives, tot amnes superavimus, tot montium iuga transcurrimus. Non mare illud, quod aestuans iter fluctibus occupat, properantes nos retinebit, non Ciliciae fauces et angustiae inclūdent: plana omnia et prona sunt. In ipso limine victoriae stamus; pauci nobis fugitivi et regis Darēi, domini sui, interfectores supersunt. Illos, semper nos timentes, nunc terruimus: suas copias vos esse mox deleturos pavent. Si hostes deleverītis, famam vestram augebitis, gloria vestra apud omnes gentes patebit nitebitque, egregium opus posteritati tradētis».

Da CURZIO RUFO

506. *Quintus Marcius Coriolanus.*

Septimo decimo anno postquam reges ab Urbe electi erant, in Romanos bellum a Volscis indictum erat; qui autem, victi acie, etiam Coriōlos, clarissimam civitatem, amiserunt. Postero anno, expulsus ex Urbe, Quintus Marcius, Romanorum dux, a quo Coriōli capti erant (qua re ei Coriolanus nōmen indītum erat), ad ipsos Volscos contendit ira incensus; cum ab illo auxilia inde accepta essent et Romani saepe victi essent, Coriolanus usque ad quintum miliarium Urbis accessit et etiam patriam suam oppugnavisset, cum legatos, a quibus pax petebatur, repudiavisset, nisi ad eum mater Veturia et uxor Volumnia ex Urbe venissent, quarum fletu et deprecatione victus, remōvit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit, a quo contra patriam copiae ductae essent.

Da EUTROPIO

562. *Titus Pomponius Atticus.*

Titus Pomponius Atticus perpetuo a maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diti studiosoque litterarum, qui omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertīri solet, eum erudivit. Patre mature mortuo, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, in urbem Athenas venit. Hic ita versatus est, ut universi Athenienses eum revererentur civemque suum facere conarentur; quo beneficio ille usus non est, quod nonnulli ita interpretantur: amitti civitatem Romanam alia ascīta (da ascisco). Hic complures annos moratus, Graece ita ut Athenienses loquebatur. Cum autem in Italiam revertetur, eum discedentem universa civitas prosecuta est. In re publica ita est versatus, ut optimarum partium et esset et existimaretur. Difficile est omnia de eius vita persēqui et non necessarium.

da NEPOTE